

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

Level One Medieval Latin Examination

16 April 2018

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. The genealogy of the Norwegian kings (*Historia Norvegia*)

Vetus prosapia regum Norvegia a Swethia sumpsit exordium, unde eciam inhabitata est Trondemia, que patria principalis est in Norvegia. Rex itaque Ingui, quem primum Swethie monarchiam rexisse plurimi astruunt, genuit Neorth. Qui uero genuit Froy. Hos ambos tota illorum posteritas per longa secula ut deos uenerati sunt. Froyr uero genuit Fiolni, qui in dolio medonis dimersus est. Cuius filius Swegthir nanum in petram persequitur nec redisse dicitur, quod pro certo fabulosum creditur. Iste genuit Wanlanda, qui in sompno a demone suffocatus interiit. Quod genus demoniorum Norwaico sermone ‘mara’ uocatur. Hic genuit Wisbur, quem filii sui cum omni curia sua, ut cicius hereditarentur, uiuum incenderunt. Cuius filium Domald[um] Sweones suspendentes pro fertilitate frugum Cereri hostiam obtulerunt. Iste genuit Domar, qui in Swecia obiit. Huius filius Dyggi item in eadem regione uite metam inuenit.

2. The priest who forgot Lent (Poggio Bracciolini, *Facetiae*, 1470)

Aellum oppidum est in nostris Apennini montibus admodum rusticum. In eo habitabat sacerdos rudior atque indoctior incolis. Huic cum ignota essent tempora annique varietates, nequaquam indixit quadragesimam populo. Venit hic ad Terram Novam, ad mercatum sabbato ante solennitatem Palmarum. Conspectis sacerdotibus olivarum ramos ac palmulas in diem sequentem parantibus, admiratus quidnam id sibi vellet, cognovit tunc erratum suum, et quadragesimam iam nulla observatione suorum transisse. Reversus in oppidum et ipse ramos palmasque in posterum diem paravit, qui, advocata plebecula: ‘Hodie,’ inquit, ‘est dies, quo rami olivarum palmarumque dari ex consuetudine debent: octava die Pascha erit; hac tamen hebdomada agenda est paenitentia, neque longius habemus hoc anno ieiunium, cuius rei causam cognoscite: Carnisprivium hoc anno fuit admodum tardum et lendum quod propter frigora et difficultatem itinerum hos montes nequivit superare; ideo et quadragesima adeo tardo ac fesso gradu accessit, ut iam nil amplius quam hebdomadam unam secum ferat, reliquis in via relictis. Hoc ergo modico tempore, quo vobiscum mansura est, confitemini et paenitentiam agite omnes.’

3. The birth of spring (*Carmen buranum*)

Frigvs hinc est horridum,
tempus adest floridum.
ueris ab infantia
tellus iam fit grauida;
in partum inde soluitur,
dum florere cernitur.
O.o.o.a.i.a.e,
amor, insolabile!
clerus scit diligere
uirginem plus milite!

Sol tellurem recreat,
ne fetus eius pereat.
ab aeris temperantia
rerum fit materia,
vnde multiplicia
generantur semina.

[*Refrain: O.o.o.a.i.a.e etc.*]

Mons uestitur floribus
et sonat a uolucribus.
in siluis aues concinunt
dulciterque garriunt;
nec fylomena desinit,
iacturam suam meminit.

[*Refrain: O.o.o.a.i.a.e etc.*]

Ridet terre facies.
nunc audite, uirgines,
colores per multiplices:
»non amant recte milites.
miles caret uiribus
nature et uirtutibus.«

[*Refrain: O.o.o.a.i.a.e etc.*]

4. Einhard on Charlemagne's imperial activities

Post susceptum imperiale nomen, cum adverteret multa legibus populi sui deesse – nam Franci duas habent leges, in plurimis locis valde diversas – cogitavit quae deerant addere et discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigerem, sed de his nihil aliud ab eo factum est, nisi quod pauca capitula, et ea imperfecta, legibus addidit. Omnium tamen nationum, quae sub eius dominatu erant, iura quae scripta non erant describere ac litteris mandari fecit. Item barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur, scripsit memoriaeque mandavit. Inchoavit et grammaticam patrii sermonis. [...] Extremo vitae tempore, cum iam et morbo et senectute premeretur, evocatum ad se Hludowicum filium, Aquitaniae regem, qui solus filiorum Hildigardae supererat, congregatis sollemniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni et imperialis nominis heredem constituit, inpositoque capiti eius diademate imperatorem et augustum iussit appellari.